

4
D. ANDREÆ FLORENTIS RIVINI
REGIÆ ET ELECT. SUPR. CUR. PROV.
ADV. ORD.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

DE

EMPTIONIS VENDITIONIS ET
ALIENATIONIS NATURA
AC DIFFERENTIA

ad l. LXVII. D. de V. S.

OLIM

IN ACADEMIA ULTRAJECTINA

d. XXII. Novembris MDCCXXVI

habita &

nunc secunda vice recusa

MDCCXXXV.

LIPSIÆ,
Apud GABRIEL TROGIVM.

Diss. jur. civ.

177,22

D. ANTONII MONTANI DE RIVINI

PHASE ET BROT SUR EUR. PROV.

AM. ORD.

EST BUSTATI D. TRIDICA

IN A U G U R A L I S

PHASES VENTILATIONIS ET

ALLENATIONIS NATURA

AC BREVITATE

W. L. MONTANI

PHASES VENTILATIONIS ET

ALLENATIONIS NATURA

AM. ORD.




CONSPECTUS DISPUTATIONIS.

§. I. **A**ntiquis temporibus venditionis & alienationis vocabula confundebantur. Quæ eius rei causa?
II. Optime hæc discernit Ulpianus lege nostra, cuius ultima verba a venditione rerum Mancipi illustrantur. l. 17. D. de A. vel A. P. explicatur. III. Sublatis harum differentiis, superest tamen adhuc discrimen. Illustrantur priora verba legis. IV. l. 29. §. 1. D. de statu liber. explicatur. V. Venditionis definitio. Eius requisita. VI. Absque re, nisi spei non datur venditio. Hugo Donellus notatus. Satius est in definitione venditionis rei, quam mercis appellatione uti. VII. De pretio rei venditæ: quid in XII. Tabb. sancitum ex iure Attico. Contiùs notatus. Quamdiu partes ab emtione venditione discedere possint. VIII. Res, si potestatem tradendi habeat venditor, præcise tradenda. IX. In traditione consideratur factum & effectus. Aliud est tradere aliud dare. Si rem tradere nequit venditor, Dissensus Dd. & quid in Praxi. X. differt perfectio contractus ab eius consummatione & in genere emtio à venditione XI. Quando & XII. Quibus modis contingat alienatio? Textus de mutuo, de rebus

CONSPECTUS DISPUTATIONIS.

rebus dotalibus aestimato datis & alii explicantur. XIII.
Omittendo non semper alienatur XIV. *Exceptio alia in fisco*
ex l. 45. pr. D. de jur. fisc. cui nec obstat l. 26. D. eod. alia in
pupillo. XV. *Sola traditione & usucapione hodie natura*
alienationis haurit absolvitur. Sensus l. 20. Cod. de pact.
 XVI. *Præcipue hoc in contractu.* XVII. *Mero Jure Nat. tra-*
ditio in transferendo dominio non requiritur. XVIII. *Dis-*
sidentium argumenta refutantur XIX. *qui rem alienam*
vendit, alienat. l. 7. §. 3. D. de curat. furios. *explicatur.*
 XX. *Generales regulæ, quibus emptio venditio ab alienatio-*
ne discerni possunt. Quando res sit vendita, sed non aliena-
ta. Quid desideretur ex Const. Carol. V. & Jure Sax.
 XXI. *Venditor ante judiciale traditionem rem valide op-*
pignorare potest. Dissentit Gerb. Titius. XXII. *Quid san-*
ctum sit & obtineat in Jure Feud. aliorumque statutis &
consuetudinibus. Casus quidam, quando res dicatur vendi-
ta, sed non alienata. XXIII. *De periculo & commodo rei*
tam venditæ & alienatæ, quam venditæ & non alienatæ.
 XXIV. *Explicatæ l. 12. seq. D. de P. & C. R. V. & XXV.*
l. 16. D. de caus. dat. caus. non secut. Gudelinus notatus. XXVI.
Qu. an per Const. Carol. V. & Jus Sax. ratione commodi & pe-
riculi quid sit immutatum? XXVII. *Commoda spectant*
ad eum, quem sequuntur incommoda, nisi partes aliter con-
venerint. Quid in dubio sit statuendum? explicatur l. 34.
D. de contr. emt. XXVIII. *ad quid actio empti & vendi-*
ti tendat. Perfecta emtione thesaurus spectat ad emptorem.
 XXIX. *Sententia Scab. Lips.*

DISPU-



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

DE

EMTIONIS VENDITIONIS ET
ALIENATIONIS NATURA
AC DIFFERENTIA

ad l. LXVII, D. de V. S.

Ulpianus lib. 76. ad Edict.

*Alienatum non proprie dicitur, quod adhuc in dominio
venditoris manet: venditum tamen recte dicitur.*

§. I.



Ntiqui Romani, quamdiu omnem fere
alienationem per venditionem celebra-
bant, emtionis & venditionis vocabulo
alienationem comprehendisse videntur.
Docet hoc Varro *Lib. II. de re rustic. cap.*
10. In emtionibus, dicens, dominum legitimum sex fere
res perficiunt: si hereditatem iustam adiit; si, ut debuit, man-

A 3

cipio

*cipio ab eo accepit, a quo Jure Ciuili potuit: aut si in iure cessit, cui potuit cedere, & id ubi oportuit; aut si vsucepit; aut si e præda sub corona emit; tumue cum in bonis sectioneue cuius publice venit. Deinceps quoque fabulis antiquis sublatis horum verborum significatus non semper rite distinctus, potius alienatio interdum in strictiori sensu pro emtione & venditione accepta fuit, vti ex l. 1. Cod. de iur. emphyteut. iuncto §. 3. Inst. de locat. & cond. luculenter apparet. Interdum etiam, quando eadem fuit ratio in alienationibus, quæ in emtione & venditione, ex mente & interpretatione Jætorum obtinuit, vt quod in venditionibus dicitur, habeat etiam locum in quibuscunque alienationum generibus, recepta in vsu iuris interpretandi methodo, qua, vti Cascellius in libro Benedictorum junct. l. 2. §. 45. D. de O. F. & Menag. in F. C. Amœnit. cap. VIII. p. 52. vt recte conjicit Bertrandus, ait, juris interpretes frequenter vtuntur singulari appellatione, cum plura generis eiusdem significare velint l. 158. D. de V. S. Id quod ex l. 8. §. 11. D. quib. mod. pign. solu. l. 29. §. 1. D. de stat. liber. l. 23. §. 1. D. de liber. causs. & similibus firmatur. Conuenit cum his quoque vulgaris acceptio huius vocis: sic Seneca de benef. l. V. cap. X. inquit, *Venditio alienatio est, & rei suæ iurisque in ea sui in alium trunslatio.**

II.

Accurate autem venditionis & alienationis differentiam obseruauit Ulpianus in lege nostra: siquidem non absque discrimine dicit, alienatum proprie non posse dici, quod adhuc in dominio venditoris manet, sed venditum recte appellari. Ei enim vulgaris aliorum confusio satis erat cognita; sed vt decebat Jurisconsultum, proprietatis verborum peritissimum, quem-
que

que Vossius *de arte Grammatica lib. III. c. 7. bonum latinis auctorem* vocat, memor fuit differentiae inter dominos, apud quos res ex iure Quiritum vel tantum in bonis reperiatur, numque res mancipi an nec mancipi sit vendita. Illius enim dominium mancipatione, huius, traditione proprie acquirebatur, teste eodem Ulpiano *in Frag. Tit. XIX. §. 3. & 7.* & Paulo his verbis filium suum instruente *Lib. 1. recept. sent. tit. 13. §. 4. Si id, quod emptum est, neque tradatur, neque mancipetur, venditor cogi potest, ut tradat aut mancipet;* pro natura scilicet rei, vti exacte docet subtilissimus huius ævi Jctus & muneris dignitate Illustris Corn. van Bynkershoeck *de reb. mancip. & nec mancipi cap. IV. in fin.* Confirmat quoque hoc Gaius *in l. 48. D. de pact. scripserat enim in interpret. ll. XII. Tabb. ut erudite conjicit Jacob. Gothofredus ad ll. XII. Tabb. p. 210. in mancipationibus rerum quodcunque pactum sit, id valere manifestissimum est: ut hæc duo quoque junguntur in l. 4. 5. 7. Cod. Theod. de donat.* Verum sublatis rerum mancipi & nec mancipi, item nexus mancipi & traditionis differentiis, a Triboniano mancipationis nomen detractum videtur: vel certe scripserat tantum Gaius in mancipationibus. Nam de mancipationibus erat tantum lex XII. Tabb. Usucapio vero & in jure cessio communia & mancipi rerum & nec mancipi adipiscendi dominium erant remedia §. 8. & 9. dict. T. XIX. *Frag. Ulp.* Si igitur res mancipi erat vendita & tradita, neque tamen mancipata, neque in iure cessa, neque anno res mobilis vel biennio immobilis possessa, ea in bonis quidem emptoris erat, ex iure Quiritum autem venditoris, teste Ulpiano §. 16. *Tit. 1. Frag. i. e. vti lex nostra loquitur, res vendita, sed non alienata proprie dici poterat: quod tamen*

tamen

tamen haut satis obseruauit Contius *disput. l. 1. cap. XIII. p. 184.* Non minus manifeste hoc discrimen idem Ulpianus indicat *in l. 17. D. de A. vel A. Poss. vbi, differentia inter dominium & possessionem hæc est, inquit, quod dominium, Quiritum scilicet, nihilominus eius manet, qui dominus esse non vult; i. e. qui modo naturali rem Mancipi solummodo in alterum transfert; possessio autem recedit, in bonis nempe alterius res esse incipit, vt quisque constituit nolle possidere, h. e. tradit: & hoc ipsum ex collatione inscriptionis nostræ legis cum præsentis certo certius apparet.* Quod antiquæ tamen subtilitatis ludibrium *in §. 40. Inst. de R. D. l. 9. §. 3. D. de A. R. D. l. un. Cod. de nud. Fur. Quir. toll. & tit. Cod. de vsucap. transfr. merito Justinianus sustulit.*

III.

Supereft tamen adhuc quoque discrimen inter venditionem & alienationem. Aliud enim est vendere, aliud alienare. Vendere est consentire, vt res cum pecunia commutetur: *alienare, dominium cum sua causa ad alium transferre, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset l. 67. D. de contr. emt. seu, est omnis actus, per quem dominium transfertur l. 1. Cod. de fund. dol.* Et hoc est, quod lex nostra negatiue declarat: *alienatio non proprie dicitur, quod adhuc in dominio venditoris manet.* In genere igitur, quoties quid ex vnius patrimonio, ita in alterius transfertur, vt illud minuat, hoc augeatur, siue res sit, siue possessio, siue ius, id omne alienatio vocatur. *Goedd. ad l. 28. n. 8. D. de V. S.* Sic quoque *in l. 7. §. 3. D. de reb. cor. qui sub. tut.* venditio non solum ab alienatione, verum etiam ab aliis contractibus accurate distinguitur, & *in §. 3. Inst. de locat. & cond.* inter modos alienandi refertur, ac *in l. 9. Cod. de pact. inter emt. & vend.* idem contractus ab alienationis

tionis

I N A U G U R A L I S.

tionis contractu expressis verbis separatur; nec non in §. 2. *Inst. de E. §. V. l. 1. D. de contr. emt. l. 1. §. 2. D. de ver. permut. l. 5. §. 1. D. de præscr. verb. à permutatione & pr. §. 4. Inst. de locat. cond. §. l. 1. §. 2. D. eod.* a locatione conductione & denique §. 3. *Inst. eod.* ab emphyteusi, quæ non procul ab alienatione distat *Nov. 7. cap. 1. ac in l. 1. §. 1. D. de Off. Procurat. Cæs.* à donatione & transactione feceruntur.

I V.

At obstare videtur *l. 29. §. 1. D. de stat. liber.* ad quam vid. *Cl. Guilielm. Best. Ratio emendandi leg. cap. 25. n. 8. p. 266. seq. & Cl. Joh. vande Water Obs. J. Rom. Lib. III. cap. VI. p. 286. seq.* vbi Pomponius ait: *Sed verissimum est, quod Aristo Celso rescripsit, posse dari pecuniam heredi ab intestato secundum quem sententia dicta est. Quoniam Lex XII. Tabb. emtionis verbo omnem alienationem complexa videretur; non interesse quo genere quisque dominus eius fieret; & ideo hunc quoque ea lege contineri, secundum quem sententia dicta est, & liberum futurum eum, qui ei dedisset pecuniam.* Quibus verbis illud significat, cum lege XII. Tabb. cautum sit, vt si is, cui libertas sub conditione dandæ pecuniæ relicta est, ante solutam pecuniam venditus fuerit, seruum hunc eam pecuniam quandocunque postea emtori dando ad libertatem peruenire. vid. *Joh. Robert. in Animaduers. J. C. l. 1. cap. 7. de qua re certiores adhuc nos reddit Vlpianus Tit. II. de stat. liber. §. 2. Statu liber seu alienetur ab herede siue suscipiatur ab aliquo (vel potius vsucapiatur, vti verisimiliter hunc locum Cuiac. *Obs. L. XIII. c. 16. iuncta l. 2. pr. D. de stat. liber.* emendat, quocum Ampliff. Schult. in *Jurispr. vet. Antej. p. 571. conferatur;*) libertatis conditionem secum trahit. & §. 4. sub hac conditione liber esse iussus, si decem millia heredi dederit & si ab herede alienatus sit, em-*

B tori

tori dando pecuniam, ad libertatem perueniet: Idque Lex XII. Tab. iubet. Statu enim liber parendo conditioni in persona emtoris, perueniet ad libertatem. Non solum autem si venerit hæc conditio ad eum transit, qui emit, verum etiam ad omnes, qui quoquo iure dominium statu libri nacti sunt. Siue igitur legatus fit tibi ab herede statu liber, siue adiudicatus, siue vsucaptus à te, siue traditus, vel alio iure tuus factus, sine dubio dicemus eum parere conditioni in persona tua posse *l. 6. §. 3. D. de stat. liber.* Vsfusus tamen alienatio conditionem statu liberi secum non trahit *l. 7. D. eod.* i. e. conditio impleri non potest in persona eius, qui vsufructum, sed in persona tantum eius, qui proprietatem emit. Cuiacius *Obs. L. XIII. cap. 16.* Vnde igitur hæc lex non pro regula, vt perperam quidam statuunt; sed pro exceptione potius in statu liberis est habenda conf. Joh. Robert. *c. l. cap. 8. Wissenb. Exercit. D. disp. 34. l. 18. thes. 1.* & Joh. Schilt. *Exercit. ad D. Exercit. XXX. Lib. XII. tit. 1. §. 23. p. 247.* Statu autem liberos venundari posse, Leges XII. Tab. putasse, ait Modestinus *lib. 9. diff. l. 25. ff. de stat. liber.* scilicet, quod non speciali in id capite, vt liceret, expresserunt, sed tacite indicarunt & præsupposuerunt vid. Jacob. Gothofred. *ad LL. XII. Tab. p. 104.*

V.

Est autem venditio, vt ad rem nos accingamus, contractus Iuris Gentium, bonæ fidei, de re, cum dominio similiue iure pro certo pretio tradenda, vltro citroque producens obligationem *l. 19. D. de V. S.* Dicitur Iuris Gentium *l. 5. D. de F. & F. §. 1. §. 2. D. de contr. emt.* quoniam hic contractus, licet actionem i. e. vim acceperit à Iure Ciuili, ab eo tamen non habet formam nouam, quin est
re-

relictus in simplicitate naturali & nullam desiderat solemnitatem, sed solo consensu peragitur *l. 2. §. 2. D. eod. § Tit. Inst. de oblig. ex cons. conf.* Noodt. Tom. II. p. 386. unde deportatus, qui iure ciuitatis non fruitur, iure tamen gentium utitur, emit & vendit *l. 15. pr. D. de interd. § re- legat. l. 17. §. 1. D. de pæn.* Solus tamen consensus haut sufficit, si lex contractus vult, vt emtio & venditio in scriptis conficiatur *pr. Inst. de E. § V. l. 17. Cod. de fid. instr.* In eo igitur differt hic contractus ab iis, qui re perficiuntur, vt patet ex *tit. Inst. quib. mod. recontr. oblig.* imo etiam a permutatione, quæ vicina est emtioni *l. 2. D. de rer. permut. l. 5. §. 1. D. de præf. r. verb. l. 62. D. de iur. dot.* & ex re tradita demum initium obligationi præbet *l. 1. §. 2. D. de rer. permut.* Idcirco etiam in emtione & venditione nec scriptura, nisi melioris probationis gratia *l. 4. D. de pign.* nec præsentia contrahentium opus est, vt substantiam capiat obligatio, sed sufficit eos, qui negotia gerunt consentire *Inst. de Oblig. ex cons. l. 2. §. 1. seq. D. de O. § A. § l. 1. §. 2. D. de rer. permut.* Bonæ fidei appellatur, quia omiffis probationum vinculis vna pars plerumque in sola alterius voluntatis declaratione acquiescit; vbi bonæ fidei venditorem nec commodorum spem augere, nec incommodorum cognitionem obscurare oportet. Val. Max. *Lib. IIX. cap. 2. n. 1.* Id quod ratio dicitur & legibus ciuilibus repetitum. Dolum enim malum a se abesse præstare venditor debet; qui non tantum in eo est, qui fallendi causa obscure loquitur; sed etiam, qui insidiosè obscure dissimulat *l. 43. §. 2. D. de contr. emt. § dolum malum semper abesse oportet in iudicio emti, quod bonæ fidei est,* respondit Pomponius in *l. 6. §. fin. D. de A. E. § V.* Egregia hoc de loco tradit Ampliff. Everard. Otto, Academiae huius Decus in *Dissert. de dolo bono cap. 2. §. 12. § 13. p. 543. seq.* Vnde

cum quis agrum vendidisset, dicens fundi iugera decem & octo esse, & quod eius ad mensum erit ad singula iugera certum stipulatus esset: viginti inuentis, pro viginti deberi pecuniam respondit Paulus in *l. 40. §. 2. D. de contr. emt.* In his enim, si dissensus inter partes oritur, libera potestas iudici ex bono & æquo æstimandi, quid alterum alteri præstare oportet, merito relinquitur *§. 28. §. 30. inst. de act.*

VI.

Venditionem autem absque re non dari in confesso est, nisi emtionem spei excipias, quam incerti boni nomen Seneca epist. 10. vocat. Eorum enim, quæ in rerum natura, aut hominum commercio non existunt, aut nominatim prohibita, non datur venditio. *l. 57. D. de contr. emt. l. 34. §. 1. D. eod. l. 1. §. 2. Cod. quæ res export. non deb.* Nec satis mirari possumus, cur Hugo Donellus *lib. XIII. cap. 1. n. 38. l. 8. D. de contr. emt.* non idem statuatur his verbis; quod cum dicimus, non hoc intelligi debet, sine re, quæ sit in rerum natura, aut hominum commercio; sed sine re, quæ verbis conventionis exprimat, quam venditor pro existente & priuata vendat, pro qua & pretium statuat. Quæ quum ita sint, in definitione venditionis satius putauimus generali vocabulo rei, quam mercis vti. Mercis enim appellatio ad res mobiles tantum pertinet *l. 66. D. de V. S. ac præterea serui venum expositi, merx non vocantur l. 73. D. de legat. 3.* Mercis enim appellatione homines non contineri Mela ait & eam ob rationem mangones non mercatores, sed venalitiarios appellari ait & recte, *l. 207. D. de V. S. vide & Senec. Lib. IV. de benef. c. 13.* & tamen homines pariter ac res immobiles venduntur. Nec in contrarium allegari potest *l. 1. D. eod. §. l. 1. D. de rer. permut.* Nam eo in loco merx κατ' ἐξοχήν & quidem per synecdochen speciei pro qua-

qua-

qualibet re, quæ emi vendique solet, ponitur, quia frequentissimus hic contractus inter mercatores mercis causa celebratur. Deinde voluit Iustus Paulus differentiam inter emtionem & venditionem & permutationem ostendere; id autem nullo meliore exemplo potuit, quam à mercatoribus ascita mercis pretiique differentia, ut, quemadmodum apud eos aliud merx est, aliud pretium, ita in qualibet alia emtione & venditione oporteat esse aliud instar mercis, aliud pretium, tanquam rei æstimationem. conf. Goedd. l. 66. D. de V. S. p. 667. Edictum tamen Prætoris de tributoria actione, quod est de merce peculiari, explicatione Pedii ad omnes negotiationes porrectum est l. 1. §. 1. D. de trib. act.

VII.

Sequitur pretium, sine quo nullus emtor l. 19. §. 5. D. de Ædil. Edict. nec emtio dici potest pr. Inst. de E. & V. l. 2. §. 1. D. de contr. emt. id certum esse & in numerata pecunia consistere debet §. 1. & 2. Inst. de E. & V. Quapropter aliæ res non nisi insolutum dari possunt l. 9. Cod. de resc. vend. Eo enim casu pecuniam accepisse dicimus, etiamsi quid pro pecunia acceptum l. 1. §. 4. D. de calumniat. quia par ratio est, siue quis acceperit numeratam pecuniam, siue aliud pro ea, vel etiam talem de pretio habuerit. Nam si is, qui vendidit, fidem emtoris secutus fuerit, dicendum est, statim rem emtoris fieri §. 41. Inst. de R. D. Pretium itaque quasi anima est venditionis; in hoc vis omnis ac potestas consistit, quod si abest, totum negotium viribus suis destitutum, corrumpitur. Nam venditio contrahitur, si de pretio conuenerint pr. Inst. de locat. & cond. l. 2. D. eod. Sic venditæ & traditæ res non aliter emtori acquiruntur, quam si is venditori pretium soluerit, vel alio modo ei satisfecerit, veluti expromissore, aut pignore dato. Quod quamquam cauetur

ex Leg. XII. Tabb. tamen recte dicitur *Et iure gentium i. e. Jur. Nat. id effici §. 41. Inst. de R. D.* quæ verba sic interpretatur Franc. Hotm. in *Quæst. Illustr. Q. 12. p. 81.* Quamuis lex XII. Tab. de mancipatione & dominio, quod Jure Quiritum transfertur, scripta sit, idem tamen locum habere etiam in alienatione dominii, quod rem in bonis iuris gentium efficit. Ulterius progreditur Contius in *Collectione XII. Tabb. p. 887.* putans in XII. Tabb. fuisse. *Res vendita emtori tradita, non aliter in eius iure mancipioque esto, quam si venditor æs appensum solutumue sit.* Sed magis ex sententia, quam ex verbis legis id fluxit. Nam lex XII. Tab. omnem alienationem verbo emtionis complexa erat *l. 29. §. 1. D. de stat. liber.* omnemque alienationem voluerat per mancipationem explicari i. e. per imaginariam venditionem. Dominus enim, stateram seu libram tenens, emtorem hac formula alloquebatur: *Raudusculo libram ferito:* is vero, qui mancipium accipiebat, æs tenens, dicebat: *Hunc ego hominem ex Jure Quiritum meum esse aio, isque mihi emtus est, hoc ære æneaque libra,* deinde ære percutiebat libram, atque æs dabat ei, a quo mancipium acciperet, quasi pretii loco Varro *l. IV. §. V. de Ling. Lat. Boët. l. III. in Topica Cicer. & Fest. in voce Rodus. conf. Jacob. Gothofred. ad ll. XII. Tab. p. 101.* Idque ex Jure Attico translatum videtur, Græci enim præsentem pecunia merces vendebant, unde Græca fide mercari in proverbum abiit. *Plaut. in Asin. Act. 1. sc. 3. v. 47.* Nam quod Plato *de Legib. XI.* statuerat, ne aliter emtio venditioque contraheretur, quam si præsens hinc merces, illinc pecunia traderetur, ad peruulgatas emtiones a J. C. tis traductum est. Si igitur æs haut solutum vel fideiussor non datus, nec alias satisfactum, venditor dominus manet & si emtor non soluendo existat, venditor rem reuocare potest *l. 5. §. 18. D. de*

D. de

D. de trib. act. conf. Ampliff. Corn. van Eck in Princip. Jur. Ciuil. l. XX. Tit. IV. §. 1. Donec enim aliquid deest ex his & pœnitentiæ locus est & potest emtor & venditor sine pœna a contractu recedere, nisi quid arrharum nomine fuerit datum. Hoc enim subsecuto, is, qui recusat adimplere contractum, siquidem est emtor, perdit, quod dedit. Si vero venditor duplum restituere compellitur. *pr. Inst. de E. & V. l. 17. Cod. de fid. instr.* Cum alias perfectam emtionem atque venditionem re integra tantum pacto & consensu posse dissolui constet. Etenim quod consensu contractum est, contrariæ voluntatis adminiculo dissoluitur. At post traditionem interpositam, nuda voluntas non resoluit emtionem: si non actus quoque priori similis, retro agens venditionem, intercesserit *l. 5. Cod. de resc. vend. in fine iunct. l. 1. & 2. Cod. quand. lic. ab. emt. disc.*

VIII.

Denique hic contractus eam in se habet traditionis necessitatem, ut etiamsi nihil tradatur, habeat tamen plenissimum ac perfectum robur & traditionis necessitas incumbat venditori §. 2. *Inst. de donat. iuncta l. 35. §. 5. Cod. eod. imo eius heredi l. 8. pr. D. de per. & com. rei vend. l. 32. D. locat. ita, ut vnus soluendo quod interest, neque Principis rescripto l. 3. Cod. de resc. vend. neque offerendo duplum l. 6. eod. altera parte inuita ab hoc contractu recedere possit, sed res ipsa præstanda, i. e. tradenda. Id quod Paulus quoque in supra dict. *l. 1. recept. sent. T. 13. & Varro l. 11. de re rustic. c. 2.* his verbis: *nec non emtor potest ex emto vendito illum damnare, si non tradet, quamuis non soluerit nummos: ut ille emtorem simili iudicio, si non reddit pretium, sufficienter corroborant.* Secus res se habet, si ipse emtor post moram vel culpam venditoris ad interesse agat quantum
nempe*

nempe ei abest, quantumque lucrari potuit *l. 14. D. ratam rem. hab. l. 1. pr. § l. 11. §. 9. l. 12. D. de A. E. § V. § l. 10. D. quib. mod. pign. vel hypoth. l. 10. Cod. de Ad. E.* Aliud autem est hoc in casu loco rei venditæ interesse petere, aliud interesse loco rei venditæ offerre; illud quidem in emtoris est arbitrio, hoc autem in venditoris voluntate minime omnium est positum; aliud enim pro alio invito solui nequit *l. 16. Cod. de solut.* Nonne enim offerre pretium esset recedere a contractu? ac præterea contra æquitatem ac honestatem, cuius tamen Jctos Romanos perstudiosos fuisse constat, foret, emtorem perfecta emtione rei periculum sustinere & tamen illam, cum vellet, a venditore, alioquin tradere valente consequi non posse. *Lauterbach. in Colleg. Theor. § Prax. ad Tit. D. de A. E. §. 8.*

IX.

Imprimis igitur ipsam rem præstare debet venditor, i. e. tradere *l. 11. §. 2. D. de A. E. § V.* non dare. Non enim in venditione id agitur, vt dominium rei tradendæ in accipientem transeat, sed vt res tradatur. At, qui tradit, non semper dominium transfert. Hæc namque res, siquidem dominus fuit venditor, facit & emtorem dominum; si non fuit, tantum euictionis nomine venditorem obligat, *dict. leg. § l. 20. D. de A. R. D.* In traditionibus enim consideramus factum. *l. 7. §. 3. D. de curat. furios. & effectum l. 4. D. de usur. l. 28. D. de V. O.* Ad prius tenetur venditor, non ad posterius. Longe enim inter se differunt tradere & dare. Dare enim est rem perfecte accipientis facere *§. 14. Inst. de act. l. 75. §. fin. D. de V. O.* tradere autem transferre possessionem *l. 3. pr. D. de A. E. § V. l. 28. D. de V. O.* Seneca tamen abusive tradere dixit pro dare *de benef. L. 3. c. 20. § ep. 117.* vid. *Noodt. probab.*

probab. Jur. L. II. c. 12. in fin. Id quod in alienatione rei alienæ vel maxime cernitur. Nam non videntur data, quæ eo tempore, quo dantur, accipientis non fiunt *l. 167. D. de R. J.* Rem autem si tradere nequid venditor, quod multis accidere potest modis, *l. 68. §. 2. D. de contr. emt.* pro rerum circumstantiis, vel pretium restituere debet *l. 34. D. locat. cond.* vel in id, quod interest condemnatur *§. ult. Inst. de E. & V. l. 62. §. 1. D. de contr. emt. & l. 4. Cod. de A. E.* Quoties autem res, quæ petitur tradi potest, ineptum est, reum ad æstimationem eius condemnare, ut inquit Dionys. Gothofred. *in not. ad l. 17. Cod. de fideicommiss. liberat. lit. g.* Dissensum Bd. hac in re vide apud Bachov. ad Treutl. *vol. 1. Disp. 2. & præcique Arnold. Vinnium Commentar. ad Instit. l. III. T. 24. ad pr. p. 177. seqq.* qui tandem grauißimis commotus rationibus nostræ accedit sententiæ, quam etiam vsui fori conformem testantur Groenew. *ad l. 4. Cod. de Act. Emt. Carpz. p. 2. Const. 1. def. 15. & Wissenb. in Exercit. D. l. XIX. disp. 37. n. 2. in fin. p. 357. de Jure Sax. Elect. vide R. O. P. S. ad Tit. XXXIX. §. 2. p. 212.*

X.

Inter perfectionem & consummationem seu implementum emtionis & venditionis contractus id vero interest, quod consensu iñe quidem perficitur, sed per traditionem demum consummatur. Quemadmodum enim ad nuptiarum implementum, quas non concubitus, sed consensus facit, nihilominus Romæ deductio in domum mariti plerumque accedebat *l. 66. D. de donat. inter. V. & U. & l. 22. Cod. de nupt.* & secundum J. Sax. ac leges quasdam municipales, quæ ex illo manasse videntur, ut coniux coniugi succedat, ingressus thori requiritur *L. R. l. 1. a. 45. Const. Elect. 19. p. 3. ibique Carpz. def. 4.* ita equidem consensu fit emtio & venditio, eadem tamen

C

con-

consummata non prius dicenda, quam res traditæ fuerint, is enim, qui rem nondum tradidit, ipse dominus est. §. 3. *Inst. de E. & V.* Ante omnia autem, si accurate procedere volumus a venditione separanda quoque est emtio, qua aliquid meum facere cupio *l. 20. D. de contr. emt.* quibus appellationibus veteres promiscue utebantur *l. 19. seq. D. de A. E. V.* Dissent. Cuiac. *l. 9. Obs. c. 15.* reprehensus a Joh. Robert. *Animadv. J. C. l. 1. cap. 9.* Aliud est vendere, aliud emere, alius emtor alius venditor *l. 1. D. de rer. permul.* Quid vero sit emtio & venditio & quale intercedat discrimen, origo verbi & rei natura indicant. Sic in *l. 8. D. de resc. vend. cur. Titius Seii procurator defuncto Seio, ab eo scriptus heres, ignorans fundum seruo hereditario venditum, quasi procurator subscripsi: quesitum est, an cognito eo, priusquam emtio perficeretur, a venditione discedere possit?* Minime, omnium enim emtio & venditio adeo conglutinatae sunt, ut separari non possint; nec dicendum, cum perfecta sit venditio, perfectam quoque esse emtionem; quem enim latet, emtionem tam sub conditione, quam pure contrahi posse? sub conditione, veluti si Stichus intra certum diem placuerit, erit tibi emtus aureis tot. §. 4. *Inst. de E. & V.* Quo in casu venditio facta, sed emtio & ab altera parte alienatio nondum insecuta.

XI.

Quoties autem quid ex vnius patrimonio decedit & in alterius transfertur, uti satis probatum dedimus, alienatio locum sibi vindicat; ut ideoque cum Dionys. Gothofred. *ad leg. nostr. lit. k.* statuere non opus habeamus: *improprie eum alienasse dici, qui non dominium, sed ius aliquod rei transtulerit, puta possessionem.* Nec necesse est, ut vel emtor, vel venditor in hoc contractu semper fiat locupletior, cum iusta rei venditæ & alienatæ aestimatio

tio

tio plerumque intercedere soleat: & ita quoque sua sponte patet sensus ac ratio *l. 70. §. 3. § l. 71. D. de legat. § fideic. 2.* hoc enim casu tale quid fieri testatoris voluntas permittit. *l. 7. Cod. de reb. alien. non alien.* Accidere tamen potest, ut vnus maiorem capiat vtilitatem altero; nam hoc solum, quod paulo minore pretio fundum venditum significas ad rescindendam venditionem inualidum est. In pretio enim emtionis & venditionis, ut Pomponius ait, naturaliter licet contrahentibus se circumuenire *l. 16. §. 4. D. de min. i. e.* ut Paulus inquit; *in emendo & vendendo naturaliter concessum est, quod pluris sit, minoris emere, quod minoris sit, pluris vendere; & ita inuicem se circumscribere in l. 22. §. 3. D. locat.* Neutiquam enim permissum est venditori fallaciis uti: nam vbique curabant Ædiles, ne emtores a venditoribus hac ratione circumuenirentur *l. 37. D. de Ædil. Edict.* conf. Celeberr. Otto *de Ædil. Colon. cap. XII. §. 3.*

XII.

Alienat autem quis vel agendo vel omittendo; agendo, vel semet indebite obligando, vel illud, quod debetur, siue acceptilatione vel pacto gratis remittendo *l. 1. §. 2. l. 17. D. quæ in fraud. cred.* vel denique dominium vel simile ius in alium transferendo *l. 67. D. de contr. emt. l. 1. Cod. de fund. dot.* Unde recte quoque constitutio mutui pro alienatione habetur in *§. 2. Inst. quib. alien. licet vel non l. 16. §. 41. D. de reb. cred.* Et olim nummi credendo, ut res nec mancipi alienabantur, uti pererudite contra Salmasium hoc probat Ampliss. van Bynkershoeck *de reb. mancip. cap. 9.* Ex hoc ipso enim mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat *pr. Inst. quib. mod. re contr. oblig.* Vnde & alienatione inhibita, alienationem omnem accipere debemus *l. 14. §. 6. D. qui*

Et a quib. manumiss. Siue enim lex eam inhibuerit, siue testator hoc fecerit, siue pacto contrahentium hoc admiserit, non solum domini alienatio, vel mancipiorum manumissio est, prohibenda, sed etiam ususfructus datio, vel hypotheca, vel pignoris nexus prohibetur l. 7. Cod. de reb. alien. non alien. & Justinianus Nov. 7. cap. 1. de non alienand. aut permut. reb. eccles. alienationis nomen generalius ideo posuimus, inquit, ut prohibeamus venditionem & donationes & commutationem & in perpetuum extensam emphyteusim, que non procul ab alienatione consistit. Ac inde quoque æstimatio rerum dotalium secutis nuptiis vera venditio dicitur l. 10. §. 4. & 5. D. de iur. dot. i. e. eo cum effectu, ut etiam transferat dominium & idcirco periculum in maritum deuoletur pr. dict. leg. ac utriusque contrahentium ex emto & vendito actionem tribuat. l. 10. Cod. de iur. dot. l. 11. Cod. de pact. Quoties enim res æstimatæ in dotem dantur, maritus dominium consecutus, summæ velut pretii debitor efficitur & soluto matrimonio, oblato pretio eas retinet, nisi res dotales redde-re ei libuerit l. 10. §. 6. D. de iur. dot. Id quod de fundo dotali æstimato dato, qui improprie ita appellatur quoque dicendum l. un. §. 15. Cod. de rei ux. act. l. 11. D. de iur. dot. Nec his aduersatur l. 30. Cod. eod. in qua mulieri in rebus dotalibus, siue mobilibus, siue immobilibus, seu se mouentibus, si tamen extant, siue æstimatæ sint, in his vindicandis omnis post dissolutum matrimonium tribuitur prærogatiua; huius enim legis resolutio ex verbis finalibus. l. 67. D. de contr. emt. erit facillima. Secus se res habet in constitutione dotis in genere. Quamuis enim in bonis mariti dos sit, & hinc constante matrimonio, huius dominium apud maritum esse dicatur pr. Tit. Inst. quib. alien. licet vel. non. l. 7. §. 3. D. de iur. dot. l. 75. eod. l. 23. Cod. eod. nihilosecius res ab initio vxoris fuerunt & naturaliter
in

in eius permanent dominio. Non enim, quod legum subtilitate transitus in patrimonium mariti videtur fieri, ideo rei veritas delata & confusa est *l. 30. Cod. eod. l. 78. D. de iur. dot. (i. e. dominium a. l. 136. D. de R. J.)* vid. tamen Joh. Robert. *Animaduers. J. C. l. III. cap. 9.* Sic quoque emphyreuta in *l. 12. Cod. de fund. patrim. dominus* vocatur; cum tamen dominus esse negetur in *l. 1. §. 1. D. si ager. vectig.* prior enim lex de dominio fructuum intelligenda est. conf. Noodt. *ad D. l. XIX. tit. II. p. 429.* Quemadmodum etiam tutores & curatores dominorum loco habentur in *l. 7. §. 3. D. pro emt. l. 56. §. 4. D. de furt. l. 27. D. de administr. & per. tut.* & alibi tamen pupilli & minores ipsi vocantur domini *l. 4. in fin. pr. D. de in litem iur.*

XIII.

Omittendo autem tunc demum quis alienare dicitur, quando aliquid ex patrimonio dimitti patitur v. g. qui data opera adiudicem non adfuit, vel litem mori patitur vel à debitore non petit, vt tempore liberetur, aut usufructum vel seruitutem non vtendo amittit. *l. 3. §. 1. § 4. D. quæ in fraud. cred. l. 28. D. de V. S. & ita queque alienationis verbum usucapionem continere in l. cit. dicitur: vix est enim, vt non videatur alienare, qui patitur usucapi.* Alias autem, qui occasione acquirendi non vitur, non intelligitur alienare v. g. omittendo possessionem *l. 119. D. de R. J.* aut optionem intra certum tempus datam, aut hereditatem, vel legitimam, vel testamentariam; non enim suam deminuit patrimonium *l. 5. §. 13. seq. D. de donat. inter Vir. & Vx. l. 28. D. de V. S. l. 6. pr. §. 2. D. de his quæ in frond. cred. l. 134. D. de R. J.* In praxi tamen distinguunt an viua adhuc vxore maritus successioni, quæ ipso iure defertur *LR. l. II. art. 76. Const. Elect. 22. p. 3.* renunciauerit; an ea mortua: in priori casu renunciatio-

nem subsistere, in posteriori non valere statuunt teste Carpz. *decis. 161. p. 2.* Quae in re tamen analogiae J.C. non omni ex parte inferuire videntur. Repudiatio enim versatur non nisi circa hereditatem vel testamento datam vel lege delatam *l. 13. D. de A. vel O. H. l. 60. eod.* Nam quod quis si velit, habere non potest, id repudiare non potest *l. 174. §. 1. D. de R. J.* Delata autem intelligitur hereditas, quam potest adeundo consequi *l. 151. D. de V. S.* Vnde quoque si quis dubitet viuat testator nec ne, repudiando nihil agit *§. 1. dict. l. 13. D. de A. vel O. H.* Et denique nullum est dubium, quin etiam sui & necessarii, seu domestici heredes, qui statim ipso iure, absque aditione, heredes existunt *l. 14. D. de suis & legit. & viuo quoque patre quodammodo domini existimantur §. 2. Inst. de hered. qual. & diff. & post mortem patris non hereditatem percipere; sed magis liberam bonorum administrationem consequi videntur. l. 11. D. de liber. & posth.* cum ratio naturalis, quasi lex quaedam tacita iis parentum hereditatem adiiciat, veluti ad debitam successionem eos vocando *l. 7. D. de bon. damn.* hereditate paterna abstinere possint, propter generalem definitionem *l. 6. §. 2. D. quae in fraud. cred. & aliis iam dict.*

XIV.

Omittendo autem in vniuersum alienat iura fisci obseruans; sic Paulus *in fraudem* inquit *fisci non solum per donationem, sed quocunque modo res alienatae reuocantur, aequae enim in omnibus fraus punitur l. 45. pr. D. de iur. fisc.* Nec Paulo contrariatur Vlpianus, vti nonnulli opinantur per *l. 26. D. eod.* verbis: *cum quidam capitis reus emancipasset filium, vt hereditatem adiret, rescriptum est, non videri in fraudem fisci factum, quod acquisitum non est.* Prior enim lex suppeditat formulam, altera vero singulare ius intuitu

intuitu filii capitis rei: vbi nihil æquius, quam eo casu, quo propter pœnam parentis aufert bona damnatio, rationem habere liberorum *l. 7. pr. D. de bon. damnat.* Cum enim hæc acquisitio ad patrem, quatenus est caput familiæ spectasset, non sine ratione hoc in casu filii status & persona considerata fuit *l. 10. Cod. de suis & legit. liber.* Non enim delinquit is, vt ait Modestinus, qui in dubiis quæstionibus contra fiscum, facile respondet *l. 10. D. de iur. fisc.* Porro etiam intuitu pupilli hæc thesis suam patitur exceptionem in *l. 5. §. 8. D. de reb. cor. qui sub tut. vel cur. sunt.* fundum enim legatum repudiare, pupillus sine prætoris autoritate non potest: esse enim & hanc alienationem, cum res sit pupilli, nemo dubitat.

XV.

Ex his igitur abunde apparet, solam traditionem & vsucapionem hodie naturam alienationis haut absolvere. Contrariam qui fouent sententiam, vel maxime argumento *l. 20. Cod. de pact.* nituntur, vbi dicitur: *traditionibus & vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferri.* Quæ lex tamen non adeo generalis est, vt reliquos modos transferendi dominium, si modo iusto gaudent titulo excludat; potius traditionem & vsucapionem exempli loco adducit & respectu nudorum pactorum tantum generaliter quid constituit. Non est enim hic argumentandum ab inclusione vnius ad exclusionem alterius: & quamuis Brunnem. *ad cit. leg.* remedium afferre intendat dicens, *non hic agi de transferendo dominio in genere, sed de dominio, quod ex consensu duorum transferendum sit;* nihilominus hæc limitatio, quamuis plurima dubia tollat à reliquis tamen exceptionibus regulam haut reddit saluam. Quamquam enim hac admissa restrictione, non opus sit monere, etiam aditione hereditatis

tis

tis *l. 23. D. de A. vel A. P.* vel legati agnitione, acquiri dominium, quia ea, quæ legantur, recta via ab eo, qui legavit, ad eum, cui legata sunt, transeunt *l. 64. D. de furt. l. 1. §. 13. D. de Scto Sil. l. 70. §. 3. D. de legat. 1. l. 80. D. de legat. 2.* imo etiam in rebus iudicio communi diuidendo, familiæ eriscundæ, vel finium regundorum adiudicatis *§. fin. Inst. de Offic. Jud. Vlpian. tit. XIX. §. 15.* ipse tamen in sequentibus exceptiones in *l. 18. D. de A. vel A. P. l. 23. Cod. de SS. Eccles.* ac denique in Principe, si velit sine traditione transferre dominium, superesse fateri cogitur, & multas alias species tradit Hahn. ad *W. Tit. de A. R. D. n. 11.*

XVI.

A veritate itaque haut aberrabimus, si legem antiqua tempore respicere, vel traditionem & usucapionem exempli loco, vel synechdochice positam esse statuamus; ita ut lex per traditionem, iuris gentium, & usucapionem, omnes civiles acquirendi dominium modos intelligat. Optime autem in emtione & venditione huius legis sensum tradit Vir Præclarus Anton. Schultingius in *Jurispr. vet. Antei. p. 620.* dicens: *dictam leg. 20. ex mente Triboniani sic accipi posse hodie, dominium statim transire, si res à domino sit tradita: si ab alio, usucapione: non vero solis conventionibus.* Is etenim, qui nondum rem tradidit adhuc ipse dominus est *§. 3. Inst. de E. & V. l. 8. §. 11. Cod. de A. E.* hincque vindicationem rei, conditionem & furti actionem exhibere debet *l. 14. pr. §. 1. §. 80. pr. D. de furt. l. 50. pr. D. de rei vind.* Quibus ambagibus tamen hodie opus non esse arbitratur Gerh. Titius in *Observ. ad Lauterb. p. 561.* dicens, *si casus à facto tertii dependet, tum emtor directe contra nocentem agere poterit, modo doceat, sibi rem*

rem

rem plane fuisse venditam; nam istas cessiones redolere antiqua fori Romani carmina, nimiamque in denominandis actionibus sollicitudinem, facile liquere. Vide tamen, quod ad Jus Sax. attinet, si resignatio iudicialis dominii non sit secuta Weinb. P. III. Obs. XXV.

X V I I.

Merum J. Nat. si intuemur, sine traditione, ipso contractus momento dominium in emtorem transfertur; idque simplicissimum esse ait Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 12. §. 15. Leges autem Ciuiles, vt fraudibus & perfidia hominum obuiam irent, traditionem veram, fictam, aut symbolicam requisuere. Nec tamen desunt, qui opinantur, nec naturaliter absque traditione transire rei dominium; quippe quum dominium rerum ex naturali possessione cœperit l. 1. §. 1. D. de A. vel A. P. & alias per naturam discriminari non posse obligationem ad alienandum ab alienatione ipsa Vinn. ad §. 40. Inst. de R. D. Kulpis. Coleg. Grot. Exercit. v. §. 1. p. 61. Hert. ad Pufend. J. N. & G. L. IV. cap. 9. §. 8. Contrarium tamen multis rationibus adstruxerunt Grot. dict. loc. §. 1. 2. c. 6. §. 2. cap. 8. §. 25. & præcipue quoque Sam. Pufend. de J. N. & G. L. IV. cap. 9. §. 5. seqq. hac distinctione rem explicans, considerari posse dominium quatenus est qualitas moralis, prout abstrahit à possessione, vel quatenus etiam aliquid physicæ facultatis intelligitur continere, per quam statim exerceri queat: Priori in casu cessare posse traditionem, secus in posteriori & hoc ex ipsa ratione fluere, cui lex 23. D. de A. vel A. P. omni ex parte respondet.

X V I I I.

Dissentientium argumenta, quæ mox adduximus lubricis sane nituntur fundamentis. Concedendum omnino est, dominium rerum ex naturali possessione
D capisse,

cœpisse, quæ nempe occupationem insequitur, quemadmodum Paulus *d. l. 1. §. 1. de A. vel A. P.* hanc rem vltterius declarans dicit: eius rei vestigium remanet in his, quæ terra mari cœloque capiuntur atque deinceps possidentur conf. *l. 3. §. 14. D. eod.* Sed plane alia ac diuersa est quæstio, an in rebus iam occupatis & possessis ad transfereandum rei dominium naturaliter quoque traditio possessionis & in iure cessio requiratur, aut an nuda voluntatis declaratio sufficiat? ac præterea vacillare videtur consequentia, per quod res primum coeperit, illud etiam in constituendis singulis eiusdem indiuiduis adhuc quoque requiri. Altera autem ratio meo quidem iudicio insufficientis videtur. Ponamus enim sola conuentione seria dominium aut sane ius ei proximum J. N. in emtorem transferri, anne & adhuc adesset quædam species, in quibus tantum alter ad alienandum sit obstrictus? quidni. Prætereo emtionem sub conditione celebratam, de qua in §. X. hui. Diff. egimus, vnico tantum casu contentus v. g. si heredi per vltimam voluntatem iniunctum sit, vt alteri rem intra certum tempus pro certo pretio, aut certa re tradat. Nonne is obligatus est ad rem tradendam & alienandam, si modo hoc tertio intra definitum spatium placeat? Et denique quid quæso interesset, si affirmetur, statim cum in re vendenda & emenda consenserint partes fieri alienationem, cum solo consensu perfici venditionem & statim periculum in emtorem deuolui concedant omnes. Et ita quoque *Ord. Polit. Ducat. Magd. cap. 22. §. 3.* intuitu mobilium Juris Naturalis retinuit præcepta, his verbis: *soll in beweglichen Güttern das Eigenthum des erkaufften Guts auf den Käuffer kommen, so bald er mit den Verkäuffeer des Kauffs einig wird, und der Zahlung halber auf ihm zu sehen sich erkläret, obgleich die*

die

die Lieffernng noch nicht geschehen und die Zahlung so fort nicht erfolgt.

XIX.

Præterea alienasse intelligitur quoque is, vt Paulus in *l. 8. §. 2. D. de alienat. iud. mut. caus. fact.* censet, qui alienam rem vendit. Nam emtio est & venditio, sed res emtori auferi potest. *l. 28. D. contr. emt.* Is enim qui vendidit necesse non habet rem emtoris facere, sed tenetur saltem hætenus vt rem emtori haberi liceat. *l. 25. D. eod. §. 1. 30. §. 1. D. de A. E. §. V.* Per eiusmodi autem illicitam venditionem, vt vocatur, nil nisi possessio & facultas vsucapiendi transfertur *l. 1. Cod. de Commun. rer. alien. l. 3. §. 4. C. de R. V.* vid. Duaren. in *Tit. de alienat. mut. iud. caus. fact.* Eandem enim ob rationem Julianus in *l. 7. §. 3. D. de cur. furios.* ad quæstionem: an alteri ex curatoribus recte solvatur, vel an vnus rem furiosi alienare possit? respondit, recte solui, eum quoque. qui ab altero ex curatoribus fundum furiosi legitime mercaretur, vsucapturum: quia solutio, venditio, traditio facti magis, quam iuris sint. h. e. simplex factum est curatoris vendentis, quod dominium rei venditæ pupillo non adimit, facultatem vsucapiendi tamen præbet. *u. l. 109. D. de V. S.* Quapropter etiam hæc venditio pro alienatione merito habetur. Curator enim furiosi adeo personam domini sustinet, vt et tradendo rem furiosi alienare existimetur *l. 56. §. 4. D. de furt.* Diss. Hotom. in *quæst. illustr. quæst. XLI. p. 334.* Et sic quoque iure veteri, si quis non dominus rem mancipi mancipauerat, valebat quidem mancipatio, sed non fiebat Dominus rei mancipatæ is, qui eam acceperat, nisi annum vel biennium eam rem postea possedisset: quia nemo plus iuris ad alterum transferre potest, quam ipse habet *l. 54. D. de R. J. Ant. Cont. Disp. l. 1. cap. XIII.*

D 2

XX. Paulo

X X.

Paulo igitur penitus inspecta utriusque tam venditionis, quam alienationis indole ac natura, restat, ut hæc in pauca conferamus & ad generales redigamus formulas: sc. quoties res certa pro certo pretio venditur & traditur, aut quocunque modo fit, consensu vel negligentia unius patrimonium minuitur, alterius augetur: toties, nisi singulare quid intuitu translationis domini leges requirant, alienatio locum inuenit. Et e contrario: quoties res certa vel indeterminata, vel sub conditione pro certo pretio tradenda promittitur, vel omiſſis requisitis legalibus tradita est: toties equidem vendita, minime omnium autem pro alienata est habenda. Certum autem est, cuius species, vel quantitas, quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut ea demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque fit ostenditur *l. 6. D. de reb. cred.* Sic Paulus *materiam emtam, si furto periisset, postquam tradita esset, emtoris esse periculo respondit: sin minus, venditoris l. 14. §. 1. D. de per & com. rei vend.* Interdum etiam sine noua traditione nuda voluntas domini sufficit ad rem transferendam: veluti si rem, quam tibi aliquis commodauerit, aut locauerit, aut apud te deposuerit, postea aut vendiderit (tibi) aut donauerit. Quamuis enim ex ea causa tibi eam non tradiderit; eo ipso tamen, quod patitur, tuam esse, statim tibi acquiritur proprietas, perinde ac si eo nomine tibi tradita fuisset. *§. 44. Inst. de R. D. l. 9. §. 5. & 6. D. de A. R. D.* quam traditionem J. C. i. Romani breuis manus vocant. Item per symbolum, si quis merces in horreo depositas vendiderit, simul ac clauis horrei tradiderit emtori, transfert proprietatem mercium ad emtorem *§. 45. Inst. d. R. D.* Sed diximus interdum quoque in transferendo dominio leges singula-

re

re quid desiderare: sic alicubi professio apud populum aut magistratum, alibi relatio in acta fuit necessaria, vid. Grot. *de J. B. & P. l. II. cap. 6. §. 2.* Et ita quoque ex *Const. Carol. V. de Anno 1526. apud Batauos* in genere non aliter immobilium venditio videtur efficax, quam si solemnis earum traditio coram lege loci fiat Voet. *ad D. l. XVIII. Tit. 6. n. 6. p. 814.* Et in Saxonia, quoad immobilia ex parte venditoris abdicatio possessionis, seu resignatio, *die Auflassung der Lehn* & ex parte emtoris iudicialis inuestitura, *das er es von den Lehnherren zu Lehn empfab*e requiritur *L. R. l. 1. art. 34. l. 2. art. 24. Decis. Elect. 61.* Secus tamen in Electoratu hodie se res habet in prædiis sub hasta venditis, quæ post adiudicationem emtori iudicialiter traduntur, citra resignationem debitoris iudicalem, per *R. O. P. S. ad Tit. XXXIX. §. 18.* Alias autem neque immisione, vt obseruat B. Parens meus in *Enunc. ad O. P. S. cit. Tit. en 27. p. 1333.* nec priuata rei immobilis traditione dominium transfertur. *Carpz. P. 2. Const. 33. def. vlt.* Quapropter, priusquam his requisitis fuit satisfactum, res equidem vendita, sed non alienata dicenda *l. nostr.* Si enim resignatio iudicialis non fuit subsequuta, tunc plenum dominium penes venditorem manet & emtor non nisi nudam detentionem nanciscitur. *Joh. Philipp. ad Decis. Elect. Decis. 61. Obs. 1. n. 13. & 14.* Ex solo hoc fundamento coram Concilio Acad. Lips. in Christoph. Adam Schuchart concursu Anno 1723. domus, quamuis extraiudicialiter iam tradita, hincque in bonis emtoris esset, massæ tamen concursus vindicabatur. Et cum hic casus singularem in modum præsentem illustret atque corroboret sententiam a Fratre meo Optimo Dn. Joh. Flor. Riuiuo Jcto & Antecess. Lips. cui haut parum me debere publice profiteor, & qui in hoc processu

cessu in Consilium adhibitus fuit, suppeditatum, in fine huius dissertationis apponere non erit incongruum.

X X I.

Huc tamen non facit, quod in Saxonia vſitatiffimum est, ſi mulieres poſſeſſionem bonorum immobiliū cedunt maritis, eosque de his in iudicio inueſtiri curant, qui propterea *Lehnträger* dicuntur; ſiquidem hæc ceſſio ipſis dominium haut tribuit, teſte *Carpz. Conſt. 13. P. 2. d. 17.* An autem ad vnamquæmque rei immobilis alienationem reſignatio iudicialis ſecundum Jus Sax. Commune exigatur, olim operoſe in dubium vocabat *Franzk. l. 2. reſolut. 12.* putans allegatos textus ſolummodo de donatione bonorum auctorū loqui; ſed hodie in Electoratu nullum remanet dubium per *Deciſ. Elect. 61.* dummodo ſtatuto loci non aliter prouiſum, vel legitima & indubita conſuetudine poſterior opinio introducta ſit. Jure Sax. Com. autem generaliter hanc traditionis iudicialis neceſſitatem quoque obtinere *F. J. L. M. Aug. § 99.* ad *Conſ. Reg. Halenſ. viſum conſ. B. Menck. Synopſ. Theor. & Prax. Tit. 1. n. 11. p. 430.* Cum itaque ante reſignationem iudicialem rei venditæ dominium apud venditorem maneat, non eſt cur cum *Titio ad Laut. Obſ. 569.* negemus, venditorem ante reſignationem rem valide oppignorare poſſe, quin potius contrarium cum *Carpz. l. 1. reſp. 102. in fin.* affirmemus. Talis enim venditor contra bonam fidem equidem ageret, nihilomiuſ tamen hypotheca tertio conſtituta valeret: emtori personali propter ruptam fidem contra venditorem actione competente *a. l. 11. Cod. de A. E.*

XXII. In

X X I I.

In Jure Feudali vasallus, qui feudum vendidit pro vasallo habetur, donec ius suum emptori cedat, nec vllus pro vasallo agnosci & inuestiri potest, nisi prior ius suum feudi remiserit, *bis der vorige Besitzer die Lehn auf gelassen* L. R. l. 2. art. 24. verb. ein iegl. Mann - Lehn, Hartm. Piistor. Obs. 230. Et sic quoque in Gelria immobilia non transferuntur citra actum symbolicum effestucationem dictum, de quo argumento extat Tract. Fred. a Sande post mortem autoris a Lamberto Goris, Syndico Nouiomag. auctus atque editus. Consimilem traditionis symbolicæ iudicialis modum ex Actis se aliquando obseruasse tradit Beyer. *in posit D. l. XIX. Tit. 1. lit. edas in der alten Sächschl. Churstadt Liberwerda selber Stadt Observanz nach die Lehn vermittels eines grünen Reiffes gereicht werde: & in Ord. Prov. Henneb. teste Schilt. in Exercit. ad D. Ex. IIX. ad §. 5. lit. c. p. 164. mus aller Verzicht, Vermächtnis und Übergab an unser Land - Gericht mit Mund Halm gegeben werden.* Vendita autem & non alienata vel maxime quoque res dicitur v. g. si emptio ita facta fuerit, est mihi emptus Stichus aut Pamphilus & in potestate venditoris aut emptoris positum est; quem velit dare aut emptum habere l. 34. §. 6. D. de contr. emt. ac sola venditio locum habet in his, quæ pondere numero mensuraue constant, antequam venditum ad mensum vel annumeratum est l. c. §. 5. licet etiam dolium ab emptore signatum sit. *Magis enim ne summutetur signari solere, quam, vt tradere tum videatur La-beo ait l. 1. pr. & §. 2. D. de P. & C. R. V. idem asseuerandum, si sub conditione emptio venditio contracta sit & conditio nondum existat §. 4. Inst. de E. & V. l. 8. pr. D. de P. & C. R. V.* Cuius rei effectus, vt venditor venditioni stare & ad id tempus rem suo periculo seruare teneatur l. 5. Cod.

Cod.

Cod. eod. nisi adiecta conditio aliud iubeat, *l. 10. D. eod.* ita, ut alteri eandem rem sub pœna falsi vendere non valeat *l. 21. D. & L. Corn. de Fals.* eum tamen, cui res priori data est, in detinendo dominio potiores leges esse, constituunt *l. 15. Cod. de rei vind. l. 11. Cod. de A. E. l. 31. §. 2. D. eod.*

X X I I I.

Missis hisce, nunc coronidis loco non minus de periculo & commodo rei venditæ & alienatæ, quam etiam venditæ & non alienatæ, non nihil dicamus. Est autem periculum hoc in loco damnum, casu fortuito enatum, si homo mortuus, aut fugerit, aut subreptus, aut læsus sit, aut ædes totæ aut aliqua ex parte incendio consumptæ §. 3. *Inst. de E. & V. l. 7. §. 15. D. de P. & C. R. V.* ubi vulgare in iure occurrit præceptum: periculum & commodum regulariter ad dominum pertinet, res etenim perite suo domino *l. 5. 6. 8. & 9. Cod. de pign. act.* Vnde si accurate rem perpendimus, in alienatione ad emptorem, in venditione ad venditorem rei venditæ periculum & commodum spectare deberet. Sed licet, uti supra adduximus, leges in venditore, usque ad traditionem, domini nomen retinuerint; in emptorem tamen commodum & incommodum rei venditæ, consensu perfecta emtione, transtulerunt: testatur hoc Paulus *l. 8. pr. D. de P. & C. R. V.* dicens, *necessario sciendum est, quando perfecta sit emtio, tunc enim sciemus, cuius sit periculum. Nam perfecta emtione periculum ad emptorem respiciet; tametsi res venditæ etiam non sint traditæ §. 3. Inst. de E. & V. l. 6. Cod. de P. & C. R. V.* Specie enim vendita periculum spectat ad emptorem *l. 5. Cod. eod.* Huius namque debitor rei interitû liberatur. *l. 23. D. de V. O. §. 16. & 18. Inst. de legat.*

XXIV. Nec

X X I V.

Nec his aduersatur *l. 12. 13. § 14. D. de P. & C. R. V.* cum illic ante traditionem damnum, lectis in via publica positus, ab Ædili illatum, ad venditorem spectat; quia is in culpa erat, quod non domi eos, donec traderentur, asseruauerit, sed in publica via positos habuerit Voet. *ad D. L. XVIII. Tom. 6 §. 1.* Ædiles enim studebant, ut ante officinas in via publica nihil proiectum esset, vel propositum *l. un. §. 4. D. de via publ.* Quamobrem præsumptio pro iis erat, lectos iure esse concisos. Nam qui iure publico utitur, non videtur iniuriæ faciendæ causâ hoc facere: iuris enim executio non habet iniuriam *l. 13. §. 1. D. de iniur.* Si vero modum egressus fuerit Ædilis, ex lege Aquilia vel iniuriarum conueniri potuit *l. 29. §. 7. D. ad L. Aquil. l. 32. D. de ini. vid. Ampliff. Otto de Ædil. Colon. p. 353. Glossa,* ut inquit Panciroll. *Thesaur. Var. Lect. L. II. cap. XL. Sentiens difficultatem huius legis, diuinat, hic venditorem in se periculum recepisse, de quo nihil in lege. Secundo ait, posse intelligi venditos fuisse lectos in genere, quod cum perire nequeat, necesse est periculum venditor sustineat, donec in emptorem translata res fuerit. Qui sensus § extraneus est § legi repugnat, ipsos enim lectos, qui emti fuerunt ab Ædili concisos fuisse ait Fctus. Prior igitur sententia potius tenenda, quam Pancirollum loc. cit. iam fouisse deprehendimus.*

X X V.

Difficilior adhuc inspectio est *l. 16. D. de cond. causs. dat. causs. non sec.* vbi Celsus dicit: *quod si dedi tibi pecuniam, ut mihi Stichum dares, utrum id contractus genus proportionem emtionis & venditionis est? an nulla hic alia obligatio est quam ob rem dati re non secuta? in quod procliuior sum: &*
E
ideo

ideo, si mortuus est Stichus, repetere possum, quod ideo tibi dedi, ut mihi Stichum dares. Dignam hancce legem animaduersione putauit Noodt. in *Prob. J. C. L. IV. cap. IV.* ubi erudite demonstrat, pecuniam non pro pretio, sed pro merce hac in lege habendam esse, dum peregrini nummi ut Darici, Philippi, Victoriati, mercis loco olim habiti, uti Volusius Mæcianus *Lib. de Affe. & Plin. L. 33. c. 3. Hist. Nat.* tradunt. Quemadmodum etiam Vlpianus *l. 9. §. 2. D. ad L. Corn. de Fals.* hac lege cautum esse, inquit, ne quis nummos stagnæos, plumbeos, emere, vendere dolo malo vellet. Plura, eaque haut vulgaria, de eadem lege vide in Barnab. Briff. *Select. ex Jur. Ciuil. Antiq. L. I. cap. IIX.* & in Noodt. *Obs. L. I. cap. XVII.* Ideoque hic contractus pro rerum permutatione potius, quam pro emtione & venditione est accipiendus, uti etiam expresse in Basilicis dicitur ἐκ ἐστὶ πρῶσις ἀλλὰ ἐναλλαγῆ vid. Cuiac. *Obs. L. 23. cap. 29.* Prouocant alii ad *l. 51. D. de legat. 1.* nec plane inutiliter, atque vi huius legis distinguunt, an pecunia ut numerata fuerit data, an ut corpus, uti hoc in loco *conf. eund. ibid.* vtraque sententia difficultatem legis tollit. Ea autem resolutio huius legis, quam affert Gudelinus in *Jure Nouiss. L. III. cap. VII. p. 115.* statuens: si expresse partes conuenerint, ut dominium rei transire oporteat, non emtione, sed contractum innominatum censeri, legibus non satis conueniens videtur. Quamquam enim largiamur, quod propter verbum dare & sequentia facile concedendum esset, hac lege partes de dominio præcise transferendo conuenisse: inde tamen haut sequitur, pactam hoc, quod in continenti adiectum est, naturam emtione ac venditionis immutasse, ut innominatus esse inceperit, sed potius, si eiusmodi adiectum fuisset pactum, huic bonæ fidei iudicio infuisset *l. 7. §. 5. seq. D. de pact. l. 13. Cod. eod. iung. l. 4. D. de usur.* Cum ve-

ro Celfus dicat, nullam hic aliam obligationem esse, quam ob rem dati re non secuta, de permutatione potius quaestionem in *h. l.* esse, intellectu est facillimum.

X X V I.

Diximus in superioribus, Constitutione Carol. V. in venditione rerum immobilium solemnem traditionem coram lege loci & secundum J. Sax. aliorumque locorum statuta abdicationem possessionis & iudiciale traditionem requiri; quaeritur igitur, an hoc ipso, intuitu periculi, quicum sit innouatum? quod merito negandum: & cum Voet. *l. c. n. 6. p. 814.* intuitu Const. Carol. V. negatiuam sententiam iam solidis probauerit argumentis, quae ad J. Sax. reliquaque iura applicari possunt, eius verba apponentes, vltiori disquisitione superfedere possumus; verba autem ita sonant: *nam & Jure Ciuili nullum in emtorem transibat dominium, nisi per traditionem, quae ad perfectam sequebatur venditionem l. ex emto 11. §. & imprimis 2. D. de A. E. §. venditae 41. & seqq. Inst. de R. D. nec tamen ideo minus in emtorem mox a consensu interposito translatum censebatur periculum rei. Cum ergo tantum in tradendo, adeoque domini rerum immobilium transferendi modo, mutatio contigerit, neque a domini translatione dependeat periculi translatio, nulla quoque ratio est, cur ex mutata sola traditionis forma deduceretur mutatio circa periculi translationem.* Et eadem quoque quaestio quoad Const. Carol. V. vti Vinn. *in Comment. ad l. 111. Tit. 24. §. 3. n. 9. Inst.* refert, incidenter apud Curiam Hollandiae agitata fuit: Plerique censuere inquit, Carolum Principem hac sua Constitutione etiam in hoc a iure communi recessisse, quod rei immobilis venditae periculum interim ad venditorem, non ad emtorem pertinere voluerit; quamquam Senatus nihil definiuit, sed propter opinio-

num varietatem amplius deliberandum censuit. Postea autem, non obstante Carolina Constitutione, Jus Ciuile in vniuersum illæsum mansisse, Hollandiæ Curiam iudicasse obseruat Groenew. *de ll. abrog. ad Tit. 23. l. 3. Inst. ad §. 3. p. 52.*

X X V I I.

Denique cum secundum naturam sit, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequuntur incommoda *l. 10. D. de R. F. in emtione & venditione quoque & commodum eius esse debet, cuius periculum est §. 3. Inst. de E. & V. l. 13. Cod. de A. E. v. g. si pretium rei venditæ creuerit l. 12. Cod. eod. res vendita fructus tulerit l. 16. Cod. eod. aut fundus per alluionem auctus sit §. 3. Inst. de E. & V. l. 7. D. de P. & C. R. V.* Quæ omnia ita procedunt, nisi venditoris dolus aut culpa intercesserit *§. 3. Inst. de E. & V. l. 23. D. de V. O. aut pactis contrahentium res aliter fuerit determinata: nam hoc seruabitur, quod initio conuenit, legem enim contractus dedit l. 23. D. de R. F. l. 9. Cod. de pact. inter emt. & vend. In dubio Labeo scripsit obscuritatem pacti nocere potius debere venditori, qui id dixerit, quam emtori, quia potuit re integra apertius dicere l. 21. D. de contr. emt. quod etiam Papinianus l. 39. D. de pact. & Paulus in l. 172. D. de R. F. confirmant. Quibus nec refragatur. l. 34. D. de contr. emt. ubi Paulus contrarium sibi Labeonem refert: ait enim, existimasse eum, si in emtione fundi dictum sit, accedere Stichum seruum, neque intelligatur, quis ex pluribus accedere debeat, cum de alio venditor senserit. Stichum illum debere, quem venditor intellexerit. Nam non pertinet hæc lex ad ambigui controuersiam: quia in ea errauisse contrahentes supponit Paulus: supponit enim, de alio seruo emtorem, de alio sensisse venditorem. Aliud autem est errare,*

rare,

rare, aliud ambigue pacisci, vti hæc in *l. 21. §. 1. D. qui test. fac. poss.* distinguuntur. Illud vitiat contractum, hoc minus. Ambiguitas enim vel obscuritas per regulas bonæ interpretationis tollenda. Error autem si v. g. in re, seu corpore, eiusue materia vniuersa, deprehendatur, emtionem reddit nullam *l. 9. pr. §. 2. l. 41. §. 1. D. de contr. emt.* Neutiquam autem si in nomine sit dissensus *l. 9. §. 1. eod.* vel modo erratum fuerit in accessione, vti hac in lege. Ita quærit ibi Paulus an valeat venditio, quod non opus habuisset, si ibi ageretur de ambiguo. vid. Joseph. Aueran. *Interpret. Jur. l. 11. cap. 11. ad l. 34. D. de contr. emt.* Quando igitur lex contractus clara est & aperta & de errore admisso in accessione quæritur, fauendum est venditori, tanquam reo potius, quam emtori, qui maiorem ex contractu utilitatem quærit. *a. §. 33. Inst. de Act.* id quod de *l. 60. D. de contr. emt. §. 1. 54. §. 1. D. de A. E.* quoque asseuerandum. Cum alias secundum emtorem interpretari pactum debeat, quod plerumque venditor, quæ sibi sunt superflua, vendat, contra vero emtor, quæ necessaria sunt emat vid. Lud. Charonda in *πειθανών seu verisimil. l. 111. cap. XI. p. 387. in Thesaur. Jur. Rom. a. v. Consultiss. Everard. Ottone nuper Lugd. Batav. edit. & quæ ille in præfatione ad Tom. II. thesauri ad hanc l. 34. monuit.* Ceterum interesse dicunt, quis legem dixerit contractui, an emtor, an venditor & semper contra illum interpretationem faciendam esse, qui apertius & clarius loqui potuisset, vid. a Sande ad *l. 172. D. de R. J.* vt adeoque cum Cuiacio *l. 1. Obs. c. 10. §. 1. 9. c. 10. §. in l. 83. de V. O. dict. leg. 34.* emendatrices admouere manus & pro verbo (venditor) verbum (emtor) ponere non opus habeamus conf. a Sande *dict. loc.*

Si vero venditor periculo se subiecerit in id tempus hoc sustinebit, quoad se subiecit *pr. l. 1. D. de P. & C. R. V.* Expressa enim nocent, non expressa non nocent *l. 195. D. de R. J.* Ac demum, perfecta emtione, ad rem alienandam & tradendam cum omni causa, agere possumus; & consequenter in rem nobis competit actio: venditor autem pretium tantum, ac si mora intercesse probetur, vsuras officio iudicis exigere potest. *l. 5. & 13. Cod. de A. E.* Nunquam enim illi in rem actio cum emtore, qui personaliter solummodo ei est obligatus, competit *l. 1. Cod. eod.* vnde quoque actio pretii dicitur in *l. 8 & 9. Cod. de Contr. Emt.* Venditor autem etiam id restituere compellitur, quod occasione rei percepit *l. 14. pr. D. de furt.* dum post perfectam emtione & venditionem omne commodum & incommodum, quod rei venditæ contingit, ad emtorem pertinet *l. 1. Cod. de P. & C. R. V. §. 3. Inst. de E. & V.* Vnde etiam thesaurus perfecta emtione, licet fundus non fuerit traditus, emtori restituendus. *l. 67. D. de rei vind.* Sane enim si hereditates & legata seruo vendito relicta, ante traditionem sine distinctione, cuius intuitu fiat relicta, spectant ad emtorem, vti docet *l. 13. §. 18. D. de A. E. & V.* quidni ad eundem pertineat thesaurus? nec nos mouet in contrarium *l. un. Cod. de thes. iunct. §. 3. Inst. de E. & V.* dum, vt satis euidetum dedimus, a translatione domini hoc in loco non deriuatur rei venditæ commodum ac periculum.

X X I X.

Coronidis loco exhibeo Tibi L. B. casum in Christoph.

stoph. Adam. Schuchart concursu obuium, cuius intuitu non solum sententias apponere, verum etiam statum causæ paucis attingere verbis, operæ erit pretium. Jam dictus Schuchart Lipsiæ dimidiam partem domus sic dicti *zum schwarzen Bock*, quam a patre iure hereditario acceperat Joh. Mariæ D. Frid. Wilhelm. Goede vxori vendiderat eumque in finem instrumentum emtionis & venditionis magistratui ad confirmandum obtulerat: cuius confirmatio tamen, propter allegatum a D. Zittmarnius protimiseos, interposita protestatione & appellatione, differebatur; interim venditor coram Notario & testibus possessionem venditæ domus emtori concedebat: & cum huius domus, quoad dimidiam partem, pretium in 1000. th. consisteret, venditor accepta summa 650. th. & reliqua tempore iudicialis inuestituræ promissa; etiam super his instrumentum Notarii confici curabat & se ab hoc contractu nullo modo recessurum, sub clausula iurisiurandi, promittebat. Dum dicta ratione iudicialis inuestitura differebatur, postmodum, moto concursu, a F. J. L. M. Jan. 1720. pronunciabatur: *auch ist Frau Joh. Mar. Goedin Kauff an den Theil des Hauses zum schwarzen Bock, so den Schuldner zustehet, indem bereits der Concur vorhanden gewesen, nicht zu lässig.* Interposita tamen leuatione, qua hanc emtionem ante ortum concursum iam celebratum fuisse sufficientibus rationibus confirmabatur, hunc in modum a Scab. Lips. Mens. Febr. 1721. ferebatur correctoria sententia: *im übrigen bleibt es, weil zwar der mit Frau Joh. Mar. Goedin getroffenen Kauff, nachdem selbiger noch vorerregten Concur geschlossen worden nicht unzulässig, gleichwohl aber, da die Lehn-Ausslassung und Reichung gerichtlich nicht erfolgt, das Eigenthum des halben Hauses zum schwarzen Bock bey Schucharten verblieben, der vor*
eing-

40 DISPUT. JURID. INAUGURALIS.

*eingewandten Leuterung ungeacht bey dem am 8. Februar. des
abgewichenen 1720sten Jahres eröffneten fol - befindlichen
Urthel billig, und ist dannenhero die Helffte gedachten Hau-
ses zum schwarzen Bock zu diesen Concurz zu ziehen. quæ
sententia quoque in Summo Appellat. Jud. Dresd. duabus
sententiis, interposita Appellatione, d. 29. Aug. 1722. & leu-
teratione, d. 20. Febr. 1723. fuit confirmata.*

F I N I S.

Corollaria.

I.

Pater, qui filium dat in adoptionem, alienat.

II.

Vnicum datur Jurisprudentiæ obiectum, ius seu leges.

III.

In vestimentis § verus § quasi datur ususfructus.

IV.

*Non semper in iure procedit regula: Si vinco vincentem,
vinco quoque victum.*

